



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficultatis 1. De Notitia futurorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

liter vellet negare notitiam hanc specierum; hanc posset habere congruentiam, quod species & notitiæ, habeant se quodammodo per modum unius, si ergo notitiæ non attinguntur nec species attinguntur: Species enim ad nihil aliud aptæ sunt, quam ad intellectionem; & non se habent ita sicut substantia angelica, cuius unicuique officium non est, ordinari non nisi ad intellectionem. Quæ autem dicta de speciebus, proportionaliter dicantur de habitibus.

DIFFICULTAS III.

De aliis Notitiis Angelicis.

POtest quæri de notitia futurorum, præteritorum, sphaera noscendi, &c. hinc sit

Punctum Difficultatis I.

De Notitia futurorum.

NON est hic difficultas, quod futura necessaria noscantur: Cum enim sint causæ illorum determinatæ, bene in causis nosci possunt, ut in igne fumus: Nec est difficultas de futuris casualibus, quia hæc non nisi conjecturaliter attingi possunt, cum non habeant sui principium necessarium. Nec est difficultas de hoc quod etiam futura libera de facto non noscantur: Nam hoc Script. soli Deo tribuit, dicitur enim Isai 45. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos.* Cap. etiam 46. *Ego sum, ait Deus, nec est ultra me Deus, nec est similis mei, annuntians ab exordio novissimorum, & ab initio, quæ nondum facta sunt dicens.* Unde etiam Patres ex notitia futurorum arguunt Deitatem, ut videre est apud Suar. L. 2. c. 9. & ita Hieronymum citat: *Considerate* (sic inducit Deum loquentem Hieronymus) *quod præter me nullus sit Deus, nec alius potuerit scire ventura, nisi ego, qui per Prophetas nuntio, quæ facturus sum, ut cum prædicta complevero divinatione, probem Divinitatem.*

Devolvitur itaque tota difficultas ad hoc: Cur illa futura non noscantur? Hanc difficultatem

EXPLICATI. Vasq. d. 208. c. 4. Dicitur quod sicut in agentibus naturalibus non sufficit habere principium sufficiens ad operandum, sed necesse est habere etiam materiam & objectum debite dispositum: Ita in potentiis cognoscitivis, præter intellectum & speciem, necessarium est objectum proprium & naturale, circa quod operari possit. Cum igitur futura contingentia non sint intra latitudinem objecti naturalis, ut probatum ex Scriptura, efficitur, ut quamdiu res futura est, ab Angelo cognosci non possit: Illa enim species impressa, est non nisi

habitualis futurorum expressio. Cumque futurum ut futurum non sit objectum naturale huius speciei, non illud noscet. Quando autem jam ponitur objectum, sine ulla variatione speciei, potest notitiam illam elicere species, ex eo solum, quod comparata cum hac re, habeat illam pro objecto sibi proprio; comparata ad futuritionem, non habeat; quia principium cognitionis operatur circa rem certam & determinatam, quam habet menti propositam. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia quæro, cur non sit intra latitudinem objecti naturalis attingere futura? Nosco enim per Scripturam, quod de facto non noscantur ab Angelis futura; sed quæro cur non? Tum, quia concedo illas species esse non nisi spectantes ad actum primum representandi; sed quæro, cur in actum secundum exire non possint? Tum, quia futura habent determinationem in suppositione sui ad se, cur ergo notitiam angelicam terminare non poterunt?

DICES cum Arrubal; Præexistente jam habitu fidei, quando incipit objectum pertinere de novo ad eundem, non fit in se ulla variatio habitus; Ergo etiam sine ulla variatione, posito objecto quod erat futurum, incipit illud noscere intellectus.

RESPONDETUR. Transeat totum. Non enim de hoc quæritur, quomodo illud objectum de novo nosci possit, sed de hoc, cur nosci non possit actu, antequam fiat? Disparitasque adferri posset, quia qui habet habitum fidei, non habet species factæ revelationis, hinc sine illis non potest se extendere habitus ad credendum, nisi sub hac formalitate, *revelabitur, vel sub hac: si revelaretur*; non autem sub hac, *revelatum est.* Jam autem habentur per oppositos species futurorum, cur ex illis non potest procedi ad hunc actum *erit objectum?*

EXPLICAT 2. Joan. à S. Thom. D. 22. art. 1. n. 18. Quod scilicet species Angelorum non representet rem aliquam nisi prout pertinet ad hoc universum; futurum autem non pertinet ad hoc universum. Ubi etiam recurrit ad Idearum divinarum participationem. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia de hoc ipso quæritur; Cur futura non spectent ad hoc universum, cum hoc universum omnia ambiat præterita, præsentia, & futura? Immo ambit ipsum tempus, spectans ad se, quod tamen est mensura motus, secundum prius & posterius. Tum quia, cum in Ideis divinis, sit etiam id, quod futurum est, cur in Angelos secundum hanc formalitatem non sint derivatæ similitudines specierum? Tum quia, quando recurrit ad hoc, quod futura non assimilantur speciei, restat quærere quare non assimilantur, & quali assimilatione? Si enim non assimilantur assimilatione

tionem per speciem expressam, de hac ipsa quaeritur, quare per illam non assimilantur?

S. Thomas, quem citat ex q. 16. de Malo art. 7. ad 9. non plus dicit, quam quod ex varietate & transmutatione individuorum, proveniat quod nunc noscantur esse, nunc non noscantur; sed hoc ad praesens impertinens est.

EXPLICAT 3. Suarez l. 2. c. 10. n. 8. Angelum non posse ideo futura cognoscere in seipso: quia ille modus attingendi futura, est proprius divinitus intellectus, propter immutabilitatem & aeternitatem suam, ratione cuius, semper, ac simul habet omnia praesentia: Nam ad habendum modum notitiae adeo sublimem, requiritur vis intelligendi infinita, qualem non habent Angeli. *Hae explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia concedo futurorum notitiam deberi Deo, etiam titulo immutabilitatis, sed quaero: Cur creaturae alio titulo convenire non possit? Nam Deo convenit esse in actu secundo notitiae, etiam titulo immutabilitatis, & tamen etiam creaturae sine immutabilitate, sunt in actu secundo notitiae. Tum quia, si ad noscenda talia futura, esset necessaria virtus infinita, etiam elevatus Angelus ad noscenda futura, cum non sit infinitus, noscere illa non posset: Ad eum modum, quo quia ad comprehensionem est necessaria virtus substantialiter infinita, etiam elevatus Angelus, non potest Deum comprehendere. Tum quia, quando ad hoc recurrit Suarez, quod nunc non sit noscendum illud futurum per existentiam rei, id verum est, quod non sit noscendum per existentiam rei exercitam, sed cur non erit noscendum secundum praesentialitatem, & suppositionem illius ad se? Quamvis autem dicatur Deus vocare ea quae non sunt, atque ea quae sunt, illo loco hoc solum probabitur, quod productio rerum de nihilo, soli Deo tanquam causae primae competat.

EXPLICANT 4. alii. Quod scilicet species futurorum, representent quidditatem, non futuritionem. *Sed haec explicatio*

NON SATISFACIT. Quia vel novae illis species deberent ad representandam futuritionem tribui, vel restabit quaerere, cur illae species futuritionem non representent?

Granadus dicit non nosci futura: quia non noscit, non esse impedienda a suis causis.

CONTRA. Quia quaerere restat, cur non noscat ipsam futuritionem? Ex qua arguat, non esse impedienda a suis causis.

Cajetanus cum aliis Thomistis dicit, non nosci futura, quia notitia fit per representationem; representatio per assimilationem, assimilatio est revelatio; haec autem non datur, nisi ad objectum praesens.

CONTRA. Tum, quia retorqueri potest totum hoc argumentum, circa notitiam, quam habet Deus de futuro. Tum, quia relatio no-

titiae ad objectum, est transcendentalis, adeoque non requirens existentiam. Tum, quia similitudo illa est intentionalis: De hac autem quaeritur; cur non possit haberi in angelico intellectu, etiam non existente objecto? Et sicut dum noscit praeterita Angelus, vel possibilia (quod arguit Arriaga) potest assimilatio salvari, sic & in praesenti.

EXPLICAT 5. Arriaga. Disp. 9. n. 18. Recurrendo ad id, quod si actus liberi non noscuntur dum sunt, multo minus noscentur antequam sint. Sequerentur etiam absurda, si quis nosceret suos actus liberos: Hoc ipso enim nosceret saepe alienos: Si enim nosco, a me odio habendum Petrum cras propter hanc causam; hoc ipso nosco illum daturum mihi illam causam, adeoque noscerem actum illius liberum.

Haec explicatio retineri potest, addendo hoc, quod etiam futura casualia videre non possit homo, quia illorum determinatio, cum non habeatur a causis determinatis, una aliam trahentibus, fit, ut illorum determinatio pendeat a Deo, tanquam auctore naturae, faciente id, quod faciebat apud Aristotelem bona fortuna. Haec autem determinationes divinae, cum involvant actum Dei liberum, nullo signo exteriori manifestatum, fit, ut hoc ipso nosci non possint: Cum actus Dei liberi ante sui manifestationem nosci non possint. Unde etiam consequenter dici posset, quod illorum species non dentur.

Quia tamen haec explicatio ostendit quidem, cur futura non noscantur titulo liberi; tentandus est modus, quod non noscantur, idque ex titulo futuritionis, etiam supposito, quod dentur illorum species? Quod ut fiat,

PRÆMITTO 1. Quod species sint qualitates vicariae objectorum, adeoque si nihil obstat, accommodare sese debere ingenio principalis & ductui: Hoc enim in omni vicariatu contingit.

PRÆMITTO 2. Sicut ipsum objectum est ejus rationis, ut eadem entitas in quantum dicit connectionem suorum predicamentorum sit possibilis: In quantum dicit existentiam quae desit, sit praeteritum: In quantum dicit actus sui extra causas positionem, dicitur existens: Et in quantum dicit se extra causas educandam, dicitur futura. Ita eadem entitas speciei accommodando sese objecto est nata representare possibile, praesens, futurum: Non quod non possint ad ista omnia distincta species dari, sed quod Auctor naturae velit & paucitatem, & accommodationem ad conditionem principalis.

PRÆMITTO 3. Si eadem indivisibilis entitas speciei est potens eandem entitatem cum dictis differentiis representare, hoc ipso debet esse indifferens ad haec omnia representanda: Si est indifferens, debet habere aliquod determinativum: Et hoc ad noscenda possibilia, est ipsa connexio, ad noscenda praesentia, actualitas entis. Quod autem erit determinativum ad noscendam futuritionem?

Quod tamen determinativum est necesse ponere, propter illud principium: Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione. Porro de hoc determinativo ad noscendum futura, discurre debemus sumpta proportionem à manifestioribus.

Manifestissimum noscitivum futurorum est ipse Deus, qui dupliciter cogitari potest determinatus ad noscenda futura: In primis à parte principii noscitivi, quia scilicet immutabilis & omniscius est: Hoc determinativo caret Angelus, sed habet, non nisi vim talem, qualem vis habet ad noscenda etiam secreta. Aliud determinativum cogitari potest, ex parte ipsius objecti; quod scilicet determinet objectum speciem ad ponendam sui notitiam, & hoc determinativum nondum existente objecto, & quod non existit, nullum potest cogitari. Ratio, quia futurum in re ipsa, ita se habet, ac se haberent ea, & habent, quæ non sunt futura: utrumque enim à parte rei, nihil est: Sicut ergo id quod nunquam futurum est, non habet vim determinandi speciem, ad se ut futurum, cognoscendum; Ita cum futurum à parte rei, habeat se in re, ac quod non est futurum; sicuti illud non futurum, ut dixi, non determinat ad sui notitiam, ita nec determinabit futurum.

Neque valet si dicas, quod nec Deus futura noscat: quia Deus ex omniscitivitate sua determinatur, ut habeat vim speciei impressæ, quam haberet tunc, cum res futura esset actu, & æquæ completa, fit ut noscat futura: quia verò creatura non est omniscia, nec est necesse ut vel essentia illius, vel species suppleat illam præsentialem, quam etiam non suppleri de facto novimus, ex auctoritate, fit ut creatura, non noscat futuros eventus. *Ex his Præmissis*

EXPLICATUR. Cur Angeli non noscant futura etiam habitis speciebus. Quia scilicet proportionantur illorum species objectis, ut dixi Præmissis primo: Sicut ergo objecti entitas eadem est, & possibilis, & præterita, & præsens, & futura; ita & species una, repræsentare nata est, hæc omnia, ut dixi Præmissis secundo. Quod si nata est repræsentare hæc omnia, & quidem non simul: Neque enim id exigit conditio huius noscitivi, quod est Angelus, fit ut sit indifferens, ad hæc repræsentanda: Si indifferens, indiget determinativo. Hoc autem determinativum non potest esse aliud, nisi desitio jam futuritionis; & præsentia actualis, ut dixi Præmissis tertio.

Hæc Explicatio videtur esse conformis S. Thomæ hic q. 57. a. 3. in corpore. Hoc etiam in præsentia addi posset, quod futura non noscant Angeli, scimus ab auctoritate, sed ratio id non demonstrat; quæ enim implicantia in creatura naturaliter noscitiva futurorum naturalium? Sed posita doctrinâ ab auctoritate, & attendendo ad principia aliâs prædicta, posset dici non

haberi illorum species: Cur autem non habeantur, non potest reddi ratio per locum intrinsicum, sed non nisi per auctoritatem.

Ad id insuper. Cum Angelus unusquisque habeat species etiam possibilitatem repræsentantes, noscendo species, non noscit certò futuritionem; quia non scit annon illæ species sint datæ ad solam possibilitatem futuritionis repræsentandam. Quod si Deus revelaret quod habeant species non nisi futurorum, quæ non tantum possibilem futuritionem, sed & exercendam repræsentent, bene in illis, nosceret futura. Hanc materiam concernens aliquid infra addetur.

Punctum Difficultatis 2.

De Notitia Præteritorum.

INDUBIÈ si perseveret effectus, in illo, præteritam actionem causæ, noscere poterit Angelus; & sic ex fumo, dicit, quod fuerit ignis; sicque in similibus. Nec est in hoc difficultas, quod meminisse possit aliquorum, quæ antea noverat, noscereque illa in ipsa memoria; sed est difficultas; An possit noscere ea, quæ præterierunt, & dum erant, non cogitavit de illis Angelus. Item est de hoc difficultas; An illa, quæ in ante non noverat, vel etiam noverat, possit noscere in illismet ipsis. Circa id divisi sunt auctores. Affirmat Vasq. d. 208. Arriaga d. 9. a. 14. Negat Suarez l. 2. c. 12.

DICENDUM est. *Quæcunque præterita, ut suppono ordinis naturalis, & quæ non involvunt actum liberum occultum, in illismet ipsis, posse ab Angelis certò & evidenter nosci.* Procedit Conclusio de præteritis, quorum supponitur Angelus habere species.

PROBAT 1. Vasq. Argumento negativo. Quia Patres & Scholastici communiter solum negant Angelis cognitionem futurorum & secretorum; Ergo cætera illis, in noscendo, subiecta putant.

PROBAT 2. Arriaga, Retorquendo argumentum, quod pro sua sententia formaret Suarez. Sicque proponi potest. Si non posset Angelus noscere præterita, quæ præterierunt in illismet ipsis, ex eo non posset noscere, quia præterita illa jam sunt nihil omnino, æque ac futura, sunt nihil. Sed hæc ratio non convincit, quod ipsum probatur in principiis Suarez, quia cognitio præterita, habita de præterito objecto, potest nosci in illamet ipsa per Suarez, & tamen illa æque jam non est, ac non sunt futura; Ergo si hoc non obstante, potest illa notitia in illamet ipsa nosci, poterunt nosci etiam præterita, in illismet ipsis.

CONFIRMATUR. Per experientias habemus, quod possit aliquis ea, quæ ante cognoverat